

In mutationem magistratus  
academici solennem, dum  
grata cum ... dno. m.  
Gab...

Thorwöste, Laurentius Ericus Johannis

*1 Ic 1693 Skragge, Gabriel*



National Library  
of Sweden

IN MUTATIONEM  
Magistratus Academici

Solennem,

Dum grata cum recordatione ejusdem  
prioris & muneris feliciter administrati,

*Perquam Reverendo ac Amplissimo*

Dno. M. Gabrieli  
**S**tragge/

Orient. & Græc. lingv. Profefs. cele-  
berrimo Ex suffragio amplissimi Se-  
natus academici.

*Sceptra Athenæi traderentur 12. Cal. Julii  
Anno 1693. Ode gratulatoria.*

---

DORPATI,  
Excudit Johannes Brendeken,  
*Acad. Typograph.*



**S**urgit Eois radiosus undis  
Phosphorus nostris aliàs Camœnis  
Gratior nunquam, facie nec ipsâ  
Candidiore;

Quam suos cernunt Charites amœnæ,  
Dum patres pubes simul & Lycei  
Rite solennes renovari honores  
Magnificosq̃.

Hos decet plausu sonituq̃ honores  
Excipi læto, tacitumq̃ præ se  
Gaudium quod fert schola nostra, gestu &  
Voce juvare.

Ergo nunc adsis Clariæ juventæ  
Læta pars, quotquot pariterq̃ adestis  
Melle Musæo Latia Minervæ  
Ritè madentes:

At quid aspectu solito videtur  
Tristior turbæ chorus hic novenæ?  
Anne quod Præses valedicat ipsi,  
Magnus Apollo?

Scilicet. Justam satis esse causam  
Dixeris tuto, nisi tu resciskas  
Gaudii nobis fore non minora  
Semina posthac.

Sede dum Præses removet priori  
Semet, ac sceptris potietur alter;  
Jubilo accedit solidus triumphus,  
Nomine duplo.

Quod prior laudis propriæ tenorem,  
Nominis dudum celebrisve famam,  
Atq̃ mensuram gravioris hujus  
Muneris implet.

Sic



Sic super gesta bene re, sonare,  
Jubilum lætum juvat, & futuri  
Mente non ægra cecinisse grandes  
Imperii spes.

Sic enim virtus gravis atq; præstans  
Præfidis clari jubet, & fidem dat  
Seculum Augusti placidum & quietum  
Non procul esse.

Exulet toto licet orbe rigor,  
Et decor recti; quoad est Apollo  
SCRAGGIUS, nunquam tamen exulabit  
Jusq; fidesq;.

Barbaris ut non furiale virus,  
Et Lycambeæ tumidæq; voces  
Futilis linguæ, tamen ipsa cesset  
Vis violenta.

Tu decus nostrum columenq; rerum  
Grande nostrarum vale, nos canemus:  
Inter æternum decus atq; florem:  
Vivat Apollo!!!

*Observantia ac boni ominis  
ergo applausit  
Laurentius Thortvöste.*

---

**E**Cce dies rediit, roseo fulgetq; nitore,  
Gaudia Pierides quo renovare solent.  
Rupis enim doctæ sancti mutantur honores,  
Et RECTOR Pindi nunc abit atq; redit.  
Non magis hoc festo cernuntur in æthere nubes;  
Triste quid exultans nec imago Pindus habet.  
Purpu-

Purpureo Titan oritur splendore coruscans,  
Doctaꝫ; collustrat culmina luce nova.  
Hinc hilares psallunt hodie nova Jubila Musæ,  
Auribus & blandè tinnula chorda sonat.  
Conveniunt Dryades, sylvarum dona ferentes,  
Impletis calathis & Galatea venit.  
Lilia cum violis gestant, quæ, æstiva tulere  
Tempora, saltantes germina plura ferunt.  
Quod vigeat tellus, quod ovet bene olentib<sup>9</sup> herbis,  
Latenturq; suo florea rura sinu.  
En manibus junctæ terram pede quomodo pulsant!  
Inq; pios solvunt ora diserta sonos:  
Castalidum Præses! Pindi qui reddis habenas,  
Dicitur usq; Tibi gratia. Vive! Vale!  
Auspiciis salve! qui jam redis Optime Custos,  
Legaliq; capis fulgida sceptrâ manu.  
Sic oculos, aures blandâ dulcedine pascunt,  
Lætitiasq; suis intima corda movent.  
Ergo simul resonet stridens mea Musa canendo,  
Ut poterit, plaudens hunc celebretq; diem.  
O Deus! qui nostras Musas inducis in oras,  
Fac hodie maneant omina læva procul!  
Magnificum munus quo possit SKRAGGE subire,  
Inq; tuo sancto Nomine Sceptrâ gerat!

*mente animoꝫ; pio pergam  
sic fausta vovere*

*Arvidus Mollerus.*